QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XV. FEBRVARII,

M. FRANCISCO LE VIGNON, Doctore Medico, Moderatore,

811.

Mutat-ne amor ingenium?

NVLLA conditio amoris detrectat leges: glutinum orbis: genius vitæ: [illegible], quo mira subtilitate transit amans in amatum: in se expirat: viuit in alio, ex quo dum resurgit vitam instaurat propriam, lucratur alienam: neuter tamen amantium sui est: Vbi est, non est: vbi non est, ibi animus: mira amoris conditio in diuersa abire sine impedimento: nihil non amori peruium: amorem amor exprimit, & vix adest sine Echo: quæris vbi sit? inest rebus omnibus, sed non idem: naturalis inanimatis, sensitiuus aut vulgaris animantibus, rationalis aut cœlestis hominem à brutis secernit: hic animam ligat animæ, dum voluntatem amantis & amati componit: ille miscet corpora, dum mixtis seminibus ambo iungit. Felix quem cœlestis mouet, non vulgaris vstulator sæpe, nisi honestus, si solam vtilitatem aut voluptatem sequatur, breuis, periculosus.

NATVRALI propensione leuia sursum, deorsum tendunt grauia: sic homo ad amorem fertur, quidni vi diuina? Astrorum consensu? parentum sanguine? à quo corporis sæpe & animi dotes: hæc amoris obiectum non mutant; cuiusuis, species pulchri & boni, vnicuique peculiaris, animi tamen vera pulchritudo in moderatis ipsius motibus consistit; corporis in particularum constructione, quæ actionibus exploratur; vtraque oculis præcipuis in amore ducibus, vel auribus accipitur; eâ animus amantis irretitus est: vix cœcum amare videas si surdus sit; ab oculis mouet imaginationem sub specie pulchri, vel mali: hinc appetitus concupiscibilis, irascibilis, à quibus nulla in amore quies: hanc quæris? illum fuge, quem desiderium, dolor, voluptas, desperatio continuò sequuntur, cura pertinax non modò dum rei amatæ quæris possessionem, sed dum possides, nonnunquam maior ne perdas, maximè si multo labore parta, cui sæpius succedit Zelotypia non amoris signum.

NVLLIS in amore Philtrum? amabilis esto, non solâ facie, sed ingenij dotibus: his amor alitur, necnon oris facundiâ, licet quærat silentium: vt medicamentis non conciliatur, sic nullâ curatur arte: non absentiâ, hæc desiderium acuit: non loci mutatione, non solitudine, qua rei amatæ imago altiùs animo reposita sæpiùs occursans it comes: non rixis, hæ enim amorem redintegrant: Huic obstas, ignem fodis gladio: extirpare vis, auctior fit: sola rei amatæ possessio morbos quorum amor causa est, curat. Amare non vis, principiis obsta, aspectus fuge, fascinant oculi, & læsi lædunt alios: amas, eosdem claude, licet sis cœcus, te produnt, non pulsus qui nullus ἐρωτικός, frequentiùs suspiria mentis alienationem testantia: sed vultum tege, interiorum affectuum est speculum, crebra mutatione quod celas aperit: ab eo vis securus viuere, res age, diuitem & otiosum quærit, inertes odit: verùm si non ames, caue ne amens sis; ingeniosi ad amorem procliues.

PRÆCIPVVM in amore votum, amato potiri, in quo totus amantis animus sui oblitus languet: imaginatione læsa vix famem sentit: si cibos sumat, aliò vis naturalis intenta incoctos relinquit: hinc partium extenuatio, pallor, amantium color, exitiosa facies (in morbis metuenda plurimùm) facultatum languor, humorum omnium mutatio, à quibus corpus est, non est, valet, languet. Sed ne mireris, rota figulari versutior est amans, aliis perturbationibus (amor omnium fons) continuò vexatur: sic irâ quæ inertibus est vtilis, bilem auget, & accendit, melancholicum humorem: & pituitam tristitiâ, maniacis prouocandâ, & timore sæpe lethali, sanguinem lætitiâ nonnunquam perniciosâ: his calorem auget, dissipat, suffocat, morborum fit parens, melancholiæ, vnde lycanthropi, maniæ, epilepsiæ, satyriâsmi: frequentiùs tamen mulieres, quàm homines vexat: hinc fœdi colores virginibus familiares, appetitus deprauati, vigiliæ, furores vterini, à putri semine, vel mensium suppressione, cuius nulla potentior causa animi perturbationibus.

QVANTVM aër in corporis temperiem & animum potest, dum latenter se insinuans vim adfert sæpe noxiam: quantùm ventorum impetus, syderum influxus, regionis ac soli natura, anni tempestates, ætates: quantùm alimenta in generandis quibuslibet humoribus, & temperando valetudinis statu summa vi prædita, tantùm potest amor, dum perturbationibus humores mutat, à quibus vt corpus, ita animus bene se habet: corpore patiẽte patitur: in sano sanus: grauante pituitâ, hebes animus: bile efflorescẽte, acer, expeditus: Melancholiâ subsidente, difficilis: humorum enim naturam referunt spiritus, qui vtà fontibus effluunt, sic ingenium variant, horum fontium vnâ facultate læsâ, aliæ in consortium veniunt conspiratione connexæ; & cùm in partibus præcipuis hæreant, animi indoles ad illorum temperiem conformatur, quâ mutatâ quidni & mutetur? sic amor de negligente industrium, de socorde impigrum reddit, mentem modò erigit, inclinat, turbat, componit, acuit, obtundit: dum variè motibus suis in corpus agit, cuius socia anima ab eo fit saucia.

Ergo mutat amor ingenium.

Proponebat Lutetiæ DVRANDVS FRANCISCVS YON, Paris. A.R.S.H. M.DC.XXXV. 258.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI

M. Ioannes Vacherot.
M. Claudius Seguin. P. R.
M. Ioannes Baptista Ferrand.

M. Simon le L[illegible]
M. Sebastianus R[illegible]*ssant.*
M. Petrus Gu[illegible]

M. Georgius Arbaut.
M. Carolus Bouuart. Reg à Con. & Prim. Regis Med.
M. Quirinus le Vignon.